



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 4. Sessio I. Concilii Lateranensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. *ra postulant, & tantæ miseriæ exigunt, ea*
 A.C. 1512. *adhibere remedia ne metuant.*

§. IV.

Sessio I. Concilii Lateranensis.

Labb. l. c. p.
 27. & 50.

Postmodum sequenti feria secunda, decima Maji prima Sessio celebratur, in qua Cardinalis S. Marci rem divinam peregit, ac Bernardus Spalatensis Archiepiscopus sermonem habuit. Aderant in hac Sessione quindecim Cardinales, Alexandrinus, atque Antiochenus Patriarchæ, decem Archiepiscopi, quinquaginta sex Episcopi, duo Abbates, ac quatuor Ordinum FF. Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, FF. Minorum, & Carmelitarum Præpositi Generales præter Regis Catholici, Venetæ ac Florentinæ Reipublicæ Legatos. Præerat autem ipse summus Pontifex, qui etiam peractis de more supplicationibus, litanis, aliisque precibus, lectoque per Arragoniæ Cardinalem Evangelio ex Capite decimo S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus*, orationem habuit, Synodique Patres admonuit, ut solerter ordinarent ea omnia, quæ ad Ecclesiæ pacem & statum pertinent, ad schismatis extinctionem, dictæque Ecclesiæ reformationem, necnon contra Infideles per Christianos Principes expeditionem, pacemque inter eos componen-

ponendam. Facta hac adhortatione ipse Pontifex Hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* auspicatus est, quo absoluto Cardinalis Farnesius Bullam indictionis sacri Concilii, postea vero Apostolicas prorogatae Sessionis literas hoc anno quinto decimo Kalendas Maji seu decima septima Aprilis datas prælegit; idem quoque aliud Breve Apostolicum die vigesima nona Aprilis editum, quo Sessio denuo dilata est, recitavit, adjunxitque aliam Bullam, qua Pontifex statuit, ut sacra per omnes urbis Romanæ Ecclesias quotidie ad gratiam divinam pro felici Concilii successu implorandam celebrarentur, concessis ad hæc sacris Indulgentiis. Legebatur etiam Tolletani Concilii canon, quo modestia, silentium atque unio præcipitur. Denique declaratum: *Quod si aliqui ex confidentibus non fuerint in sedibus debitis collocati, ex hujusmodi Sessione nulli Personæ præjudicium generetur.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. V.

Ministri Concilii.

His peractis nominabantur Synodi Officiales, ac primo quidem Constantinus Cominatus Macedoniæ Dux, & Achaïæ Princeps, qui in Montferratensi ditione quasdam terras possidebat, Generalis Concilii Custos seligitur, eique in

Labbe coll.

Conc. t. 14.

p. 46.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. C c hoc